



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miraculorum Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XI. Quantus honor Salve Regina antiphonae prae standus sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

nitate, vitam religiosè degentes, maximo cultu, ac studio sanctissimas illas reliquias custodiebant. Paullulum iam illi processerant, cum repente saeuissima tempestate exorta, & nimbo atra caligine terras obruente, ulterius progrediendi potestas sublata est. Id ubi audiit Pötifex maximus, institutis publicis, ac solemnibus supplicationibus. illuc accedens, pictam reginae Angelorum imaginè in Lateranense atrium pertulit? Sed postea nocte ad aedem illam, in qua diu fuerat, eadem ultro aduolauit. Quaerenti Pontifici à pijs illis mulieribus, quinam illud euenisset, earum praefecta honestissima, ac uenerabilis, se ante eius pedes prouoluens, rem ordine narrauit. dixit. n. noctu, dum in templo seipsa angeret; illuc rediisse imaginem. Itaque se in illo fontem Pontifex confessus est; qui re diuina prius facta, sanctissimam illam aedem liberalibus donis donauit. iussit deinde ut à Lateranensi atrio tantum olei quotannis suppeditaretur, quantum satis esset ad perpetuos illi imagini ignes conseruandos.

MIRAC. VIRG. XI.

Quantus honor SALVE REGINA antiphonae praestandus sit.

SCelerum omnium architectus, qui à bonis omnibus capitali odio solet disfidere, & qui Deum, cuius imperio ei parere necesse est, ausus est attetare; uidens sibi quosdam pios coenobitas Bononiae, ac Lutetiae acerbos, & graueis aduersarios constitutos, eos grauiter urgere, nimisque inhumanè excruciare cepit.

pit. Alijs. n. apparebat, ardentis ignis, & flammaram
 imaginem gerens; alijs occurrebat, lascivae puellae,
 quae ipsos amplexari uidebatur, formam habens. Alij
 quib. deinde nunc asinum cornua gerentem, nunc
 igneum serpentem ostendebat. Multis etiam idem
 mille modis miros ludos dabat; alios etiã saeuissimè
 caedebat fustib. ita nefariam toti belluam piorum
 coenobitarum odium ceperat. Quapropter miseros
 ordinatim nocturnis excubijs & custodijs superesse
 oportebat; ne, si omnes eodem tempore somnum ce-
 pissent, cacodaemon coenobiũ inuaderet. cum. n. alij
 lassitudine fatigati somno opprimebantur; alij inte-
 gris uirib. ad excubandum succedebant. Post tot
 deniq. aerumnas ad Virginem confugerunt, pijs, ac
 sanctissimis uotis susceptis, eam obtestantes. Ac prae-
 ter cetera, post illas preces, quae completoriae dicun-
 tur, solemne supplicationes decreuerunt, in quib.
 maxima ueneratione, & sanctitate precatio illa cane-
 retur, cuius initium est, **SALVE** regina, mater mi-
 sericordiae. Vix haec uouerant, cum ab aduersarij
 obsidione se statim liberatos, & quae exoptarant sibi
 obtigisse sentiunt. Immo regis filius, eius ordinis
 coenobita, qui insania percitus, & cacodaemonis fu-
 rore agitarus fuerat, statim se recepit: & ad se redijt.
 Quod uero huiusmodi antiphona Dei, & Virginis au-
 res, ualde oblectaret; maximo populi concursu, sacer-
 dotum in eam re studio, & multis admirabilib. reb.,
 quae uisae sunt, declaratum est. Multi. n. propriis ocu-
 lis uiderunt, Dei matrem cum coelestib. e coelo pro-
 deuntem, ad supplicationes illas, quas ex uoto illimo-
 naci celebrabant, honestandas. complures etiã testati
 sunt,

sunt, si aliquis illis uerbis, DVLCIS VIRGO, se deuoluisset, eandem Virginem, ò mira māfuetudo, submisisse se, ut par pari referret, & cum peractis supplicationib. omnes abibant, eam quoq. in coelum uisam fuisse conscendere.

MIRAC. VIRG. XII.

Auicula rostro defert SALVE Regina ad mulierem, quae eius perdiscendae desiderio incensa erat.

Prius quam antiphona illa; quae in superiori miraculo commemorata est, pasim uulgaretur, pia quaedam matronae modulate eam canere consueuerant. Hoc audiens nobilis, & honesta mulier, eius memoriter perdiscendae maximo in desiderio erat. Quod dum mirabiliter & impensè cuperet, eam auicula, candida, & expolita carta per scriptam rostro adtulit; ibiq. reposuit, ubi matrona præcationi operam dare solebat. Quocirca Virginis benignitatem ea summis extulit laudib.

MIRAC. VIRG. XIII.

Dum quodam in templo, SALVE REGINA concineretur, & uerba illa enunciarentur, & IESVM benedictum; ibi Virgo apparet.

IN Insubria quodam in templo pij monaci SALVE REGINA, canebant; & dum ea uerba, & IESVM BENEDICTVM, proferrentur, multorum